Q. D. B. V.

De

Conventu Sagarum ad ſua Sabbata,

qvæ vocant,

DISSERTATIONEM,

ASPIRANTE NUMINE DIVINO,

In

ILLUSTRI LEUCOREA,

PRÆSIDE

M. ADAMO Erdmann MIRO,

Adorfiâ Variſco, Sereniſs. Elector. Saxon.

Alumn.

publicæ Eruditorum συζητήσει

exhibebit

RESPONDENS

JOHANNES Nießner/ Zittanus,

S. S. Theolog. & Philoſoph. Stud.

Ad d. XXII. April. horis antemerid. A. Chr. M. DC. LXXXII.

In Acroaterio Collegii Veteris.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

A. 5077.

PRÆLOQVIUM.

HO progreſſa hominum levitas eſt, ut nihil temeritatis fingi aut excogitari poſſit, qvod illi non concipiant. Repreſſit Salvator optimus furibundos Satanæ impetus, nosq́; ex ejus faucibus eripuit; non tamen deſunt, qvi immanis hujus belluæ crudelitati ſpontè ſe objiciunt: In priſtinam nos libertatem merito ſuo vindicavit; reperiuntur tamen, qvi in obſeqvium infenſiſſimi hujus hoſtis jurare non abhorrent. Ante oculos pono impiã illam omniq; vitiorum dehoneſtamento conſpurcatam Sagarum gregem. Sicut enim Salvatori, ſub cujus manſvetudine omnes boni placidè acqvieſcunt, ejusq́; religioni impiè renunciat; ita ſub vexillo Cacodæmonis militare optimum vendicat delicium. Horret animus, meminiſſe ceremonias iſtas, qvas Sagæ in erigendo fœdere cum immundo illo ſpiritu adhibent. Si enim Grillandi verbis fides eſt adhibenda, veneficæ primùm, qvando veniunt ante tribunal Principis, qvi eſt Diabolus, in forma Regis præſidens in ſolio Majeſtatis, coguntur abnegare baptiſmum, & omnia Chriſtia-

næ fidei documenta relinqvere. Deinde faciunt obligationem per ſolennem ſtipulationem in manibus ipſius principis, qvà vovent & promittunt, qvod illi perpetuò obedientes atqve fideles futuræ ſint. Homagium deniqve, tacto magno libro obſcuras paginas continente, præſtare ſolent, qvod nunqvam ad fidem CHRISTI redituræ, nec divina præcepta ſervaturæ ſint, ſed ſolùm ea, qvæ à Principe ipſis imponentur, qvodq; ad eandem profeſſionem adducturæ ſint, qvascunqve potuerint. His vicisſim Diabolus non ſolùm fructum libidinum mortemq; inimicorum, ſed & divitias, honores felicemq; vitæ ſine ullâ offenſione curſum promittit. Plures alios modos, qvos Sagæ in ſanciendo fœdere cum Dœmone obſervant, recenſet Delrio Disqviſit. Magic. lib. 2. qvæſt. 4. Sicut verò ſubdolus ille Spiritus ſagas ſibi turpisſimo hoc fœdere obſtringit; ita variis modis illud, ne vel violent, vel temerè ab eo recedant, renovare ſolet. Imprimis autem redintegrat ingreſſam hanc pactionem, qvando eas ad ſolemnia ſua conventricula, qvæ Sabbata vocantur, educit. Cum itaqve hoc argumentum paulò uberiùs pertractare nobis animus ſit, neminem fore exiſtimamus, qvi vel laborem noſtrum levidenſem æſtimaverit, vel dente, ut ajunt, Theonino roſerit. Fatemur qvidem, tam amplam eſſe hanc materiam, ut nec cogi in hujus chartæ anguſtias, nec à nobis, qvi nullâ dicendi copiâ inſtructi ſumus, ſufficienter evolvi poſſit; attamen ſatis fore putamus, ſi in principiis etiam hæreamus, vel aliqvas tantùm lineas de difficillimâ hâc qvæſtione ducamus. DEUS laboribus noſtris ex alto benedicat, ut ſingula proſperè, fauſtè, feliciterq; eveniant.

§. I. Diu

§. I.

DIu multumqve ab Eruditis difficillimam hanc qvæstionem agitatam fuisse, *diversæ* istorum, qvas de eâ habent, *sententiæ* satis sufficienterq; ostendunt. *Sunt* enim, qvi sagarum conventum ad sua Sabbata planè negant, illusioni sensuum per ungventa qvædam soporatorum adscribentes, qvicqvid sibi alibi locorum contigisse dicant sagæ. Atqve in hac sententiâ sunt præter *Agrippam, Martinum de Arles, Michaelem Montanum, Duarenum, Erodium, Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 22. Ulricus Molitor* de Python. Mulier. c. 8. *Ponzinibius* integro fermè libro, *Wierus* lib. 3. de præstig. Dæmon. c. 11. *Leonhard. Vairus* lib. 2. de fascino cap. 13. *Johannes Salisburgensis* lib. 2. Polycrat. c. 17. *Philippus Camerarius* Hor. subcis. cap. 72. aliiqve.

§. II. *Alii* sagas ad solemnia sua conventricula realiter transportari perhibent, ut sunt *Remigius* lib. 1. Dæmonolat. cap. 14. 24. 29. *Turrecrema* supr. Grilland. lib. 2. de Sortileg. qv. 7. n. 8. *Penna* in Direct. inqvisit. p. 2. comment. 68. *Basinus* de art. magic. prop. 9. *Bart. Spinæus* contr. Ponzinib. *Auctor* Mallei passim, *Petr. Domianus* Epist. 4. cap. 17. *Alfonsus à Castro* lib. 1. de Just. hæret. punit. c. 16. *Johan. Dodo* in Apolog. contr. Fr. Samuelem, *Silvester* in verb. hæres. n. 3. *Gvil. Parisiensis* p. ult. de univers. c. 23. *Martinus Delrio* Disqvisit. Mag. Tom. 1. lib. 2. qv. 16. *Beetz.* de 4. Victor. Cajetan. 2. q. 95. a. 3. *Antonius de Torqvemada* Dial. 3. Hexaëm. *Abulensis* in cap. 4. Matth. qv. 47. *Ananias* lib. 4. de Nat. Dæmon. *Anglez* in 2 qv. unicâ de art. Mag. art. 4. diffic. 5. *Petr. Binsfeld.* d. Oper. Conclus. 11. *Svarez* de Relig. lib. 2. cap. 16. *Torreblanca* lib. 2. qv. 36. *D. Thomas, Joh. Major, Albert. Tostatus, Toletus, Simanca, Navar. Medices, Comensis, Cuman, Pegna, Cælaps. apud Schottum* in Phys. Curios. lib. 1. cap. 23. ubi & ipse hanc sententiam fovet, *Balduinus in Cas. Consc. lib. 3.* cap. 5. Cas. 7. *D. Jacob.* Wecker im Hexen-Büchlein p. 25. *Libavius* part. 1. sing. p. 322. *D.* König in Hept. Cas. Cons. Misc. Cas. 2. p 39. *Dannhawerus* Exercit. Ethico-Pol. V. p. 86. & *Sperlingius* in Instit. Phys. lib. 2. cap. 4. qv. 8.

§. III. Atqve *horum* vestigiis *nos* qvoqve insistimus. Qvoniam verò, monente *Grauero Prælect. Acad. in Aug. Conf. Artic. 4. de Justif. memb 2. Status controversiæ in unaqvaq; re diligenter observandus est, ne accidat nobis, qvod dici solet, ut de cœptis qvæsiti, de aliis respondeamus*; juvat plenariæ tractationi nonnulla de transportationis hujus *principio, medio* ac *modo*, nec non de *exercitiis*, qvibus Sagæ in conventriculis suis deditæ sunt, præmittere.

§. IV. Ad *principium transportationis hujus* qvod attinet, vel *Principale* illud est, vel *minus principale*. *Principale* esse ipsum *Diabolum*, qvi mancipia sua qvandoqve ad nocturna conventricula verè transportat, qvandoqve imaginatione vanâ talem illis transportationem persvadet, nemo est, qvi dubitet. Sicut verò callidus ille Spiritus nihil unqvam sine caussis agit; ita etiam prægnantes satis, cur veneficas ad conventus hos educat, habet. Etenim (1) fit hoc ad redintegrandum cum illis fœdus, (2.) ut denuò ab eo potestatem nocendi accipiant, (3.) ut malefactorum suorum rationes reddant, qvod, ni fecerint, cæduntur, (4.) ut in istis conventibus etiam scelerati parentes liberos suos ei offerant, orentq́;, ut in societatem illam infelicem eos recipiat, uti *Bodinus lib. 2. de Dæmon. cap. 4.* de matre qvadam refert, qvam filia accusaverat, qvod ipsam in conventus duxisset mater, & Diabolo instruendam reliqvisset, (5.) ut his conventibus testificentur, qvâ cum alacritate Diabolo inserviant. Æstimatur verò tanti Dæmon à sagis, ut eum non duriori *Diaboli* nomine appellitent, sed *Magisterulum*, *Magistrum Martinettum* vel *Martinettura* verbis mollioribus vocent. *Minus principale principium*, qvod alias Impulsivum dicere solent, sunt omnis generis *incantationes, figuræ, circuli, verba, unctio, pallii aut pilei positura, applicatio manuum ad crines, & qvæ sunt aliæ hujus generis ceremoniæ.* Ubi de *ungvento*, qvo Sagæ utuntur, in specie notandum, qvod ex rebus insalsissimis confectum sit, inq́; Italia, ut *Grillandus* refert, *Ungventum Paganum* vocetur. Primaria ejus materia est pingvedo infantum, qvos hunc in finẽ non rarò occidunt Sagæ, vel jam mortuos è sepulchris eruunt. Inungunt a. hoc ungvento partim *scopas & baculos*, qvibus transportari cupiunt; partim ipsa *corporis membra*. Et membra qvidem, qvando corporaliter ad conventricula sua transferri volunt.

Qvam-

Qvamvis verò hujus ungventi usu non opus habeant; (nam plures, teste experientiâ, eò devectæ sunt etiam sine unctione membrorum,) placet tamen Dæmoni, ungventum illud adhibere, vel qvia sagæ timidiores sunt, qvam ut audeant; vel qvia tenuiores sunt ad horribilem ejus contactum in corpore assumpto ferendum; hinc unctione istâ sensus obstupefacit, miserisq; persvadet, vim ungventi maximam inesse. Qvod si verò per somnium solummodò conventibus interesse, qvidq; ibi rerum agatur, scire desiderant, in sinistrum tantum latus cubant, & tunc operâ Dæmonis glaucũ ex ore vaporẽ evomunt, in qvo tanqv. in speculo, qvæ ibi aguntur, cognoscere solent. *Verba*, qvæ adhibent, pro varietate modi translationis variant. In reali transmigratione his uti verbis dicuntur: Oben hinaus/ und nirgend an. Qvando verò lecto affixi tenentur, in nomine omnium, si vulgo credendum, diabolorum obdormiunt.

§. V. Principium excipit *Medium*, qvo Dæmon veneficas asportat. Hoc autem non unius generis est. Sæpè enim adhibet *hircum vel taurum*, vel aliud qvoddam *corpus phantasticum*, qvod ipse gubernat ac dirigit. Qvandoqve verò *scopis, arundini, tauro, hirco, cani, &c.* qvorum omnium exempla prodidit *Remigius l. 1. c. 14.* insidentes ad ludum, ut vocant, bonæ societatis devehi solent.

§. VI. Sed qvia *modus* transportationis inprimis in controversiam vocatur, incumbere nobis existimo, nonnulla de eodem observare. Est verò *modus transportandi alius verus, alius imaginarius seu phantasticus*. *Verus* dicitur, qvando Sagæ ipso actu tolluntur, ad suosq; conventus transvehuntur. *Imaginarius seu phantasticus* est, qvando ope Dæmonis ea veneficis repræsentantur, qvæ geruntur in conventriculis, licet domi profundo obrutæ sopore teneantur. In qvæstionem prius tantum membrum vocari solet, an scilicet Sagæ ad solemnia sua sabbata verè transportentur. Aliàs Diabolum fæpe numero hominum sensibus posse illudere, eorumq; phantasmata ita regere, ut in locis à se desideratis esse existiment, cum tamen domi alto sopore sepulti jaceant, nemo est, qvi dubitet.

§. VII. Neqve tamen *Bodini* delirium seqvimur, qvi perhibet, Dæmonem qvandoqve animas solum cultorum suorum transferre ad illa loca, ubi Sagæ congregantur, corporibus interim domi relictis sine ullo motu. Etenim talis animarum abreptio soli Deo

potẽ-

potentisſimo eſt propria, nec ab ullâ unqvam creaturâ expectari poteſt. Et qvi Diabolum animas abripere, cumq; mortuo corpore illas reunire aſſerit, reſuſcitationem è mortuis ei adſcribit, qvod tamen ſine abſurditate dici non poteſt, cum iſta opus potentiæ ſolius creatoris ſit. Taceo, qvod anima ab omni materiâ ſeparata commeſſationes & tripudia, qvibus veneficæ in conventibus ſuis deditæ, exercere non poſſit. Sed noſtra aſſertio eſt, ſagas qvâ animam & corpus exportari ad illa loca, ubi ſua ſabbata celebrant.

§. VIII. Cave qvoqve exiſtimes, nos, dum hæc ita aſſerimus, perſvaſos eſſe, illam transportationem *ſemper* fieri, nec unqvam Diabolum mancipiorum ſuorum ſenſibus illudere. Hanc enim ſententiam qvi propugandam ſuſcipit, à veritate longisſimè aberrat. Experientia namqve magiſtra extitit, ſagas in ſuis ſæpè cubiculis remanſiſſe, & alto oppreſſo ſomno jacuiſſe, nihilominus tamen de commeſſationibus, ſaltationibus, imò de congreſſibus cum Diabolo gloriatas fuiſſe. Tale exemplum commemorat *Joh. Bapt. Porta lib. 2. Mag. Nat.* ubi ita inqvit: Incidit mihi in manus vetula qvædam earum, qvas à ſtrigis avis nocturnæ ſimilitudine ſtriges vocant, qvæq; noctu puerulorum ſangvinem è cunis abſorbent, ſponte pollicita, brevis mihi temporis ſpatio allaturam reſponſa. Jubet omnes foras egredi, qvi mecum erant: acciti teſtes ſpolis nudata tota ſe ungvento qvodam valdè perfricavit, nobis è portæ rimulis conſpicua, ſic ſoporiferorum vi ſuccorum cecidit, profundoq; occubuit ſomno, fores ipſi patefecimus: multum fabulabatur, tantaq; vis ſoporis fuit, ut ſenſum eriperet: ad locum foras redimus jam medelæ vires fatiſcunt, flacceſcuntq;: à ſomno revocata, varia incipit fari deliria, ſe maria montesq; transmeaſſe, falſaq; depromens reſponſa, negamus; inſtat, livorem oſtendimus, pertinaciter reſiſtit magis. Hæc ille. Tametſi autem experientia docuit, qvod multæ manentes in uno loco, opinatæ ſint, ſe hinc indè vagari; non rarò tamen accidit, ut Dæmon ſua mancipia in illa loca transferat, ubi obſeqvioſum ipſi cultum præſtare coguntur.

§. IX. Qvod deniqve *Actiones & exercitia* concernit, qvibus Sagæ in conventriculis ſuis ſunt deditæ, prolixè ea Delrio deſcribit loc. cit. unde non pigebit verba ejus adſcribere. Primùm inqvit (ſagis ad comitia translatis) dæmon conventus præſes in

ſolio

ſolio ſedet, formâ terrificâ, ut plurimùm hirci vel canis. Ad illum accedunt adorandi gratia, non eodem modo, interdum complicatis genibus ſupplices: interdum obverſo tergo ſtantes, interdum etiam cruribus in altum jactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, adeò, ut mentum ad cœlum feratur. Tum candelis piceis oblatis vel umbilico infantuli, ad ſignum homagii eum in podice oſculantur &c. Et paulò pòſt: His & ſimilibus flagitiis & abominationibus execrandis commisſis, incipiunt menſis aſſidere, & convivari de cibis, qvos dæmon ſuppeditat, vel iis, qvos ſingulæ attulêre. Interdū tripudiant ante conviviū, interdum poſt illud. Solent diverſæ menſæ eſſe, tres vel qvatuor cibis interdum delicatiſſimis, interdum valdè inſipidis & inſulſis onuſtæ, qvibus pro dignitate aut opibus ſingulæ collocantur; Aliqvando ſuus cuiqve Dæmon aſſidet, aliqvando maleficæ unâ ex parte, & ſuus cuiqve dæmon ex adverſo. Nec menſæ ſua deeſt benedictio cœtu hoc digna, verbis conſtans planè blaſphemis, qvibus ipſum Beelzebub & creatorem & datorem & conſervatorem omnium profitentur: eadem ſententia eſt actionis gratiarū, qvam ſubdunt menſis ſublatis. Legi formulas, manu famoſiſſimi cujusdam malefici notatas. Convivio interſunt facie interdum apertâ, interdum velatâ larvâ, linteo vel alio velamine aut perſonâ. Sic etiā perſonatæ freqventiùs, poſt convivium qviſqve dæmon ſuam, qvam cuſtodit, diſcipulam manu prehendit; &, ut omnia fiant ritu qvàm poſſunt abſurdiſſimo; dorſis invicem obverſis, & in orbem junctis manibus jactantes capita more fanaticorum, choreas ducunt; nonnunqvam candelas accenſas manu tenentes, qvibuscum ante dæmonē oſculantes adorarant, & cantant feſcenninos in honorē dæmonis obſcœniſſimos, vel ad tympanum fiſtulamve ſedentis alicujus in bifidâ arbore ſaltant, omniaq; ridiculosè & contra cæterorū morem peragunt, tum ſuis amaſiis dæmonib⁹ fœdiſſimè commiſcentur. Qvando ſacrificia fiunt, fieri ſolent ſtatim initio peractâ adoratione: Sacrificia tamē etiam extra conventum ſæpè faciunt. Deniq; addunt, qvamq; narrare ſua ab ultimo conventu facinora; qvæ qvo graviora & magis execranda fuerint, eo collaudari uberiùs: ſi nulla ſint, vel non ſatis atrocia, verberari ſegnes atrociſſimè à dæmone, vel à malefico qvopiam ſeniore: ultimò pulveribus (qvos aliqvi ſcribunt, eſſe cineres hirci illius, qvem dæmon aſſumpſerant, & qvem adorant,

ſubitò coram illis flamma abſumpti) vel venenis aliis acceptis, ſæpè etiam indicto cuiq; nocendi penſo, & pronunciato Pſeudothei dæmonis decreto: *Ulciſcemini vos: alioqui moriemini*, domos ſuas repetunt.

§. X. His ita majoris perſpicuitatis gratiâ præmiſſis, tandem concludimus, Dæmonem mancipia ſua non ſolùm ad loca Sabbatis deſtinata, *poſſe* educere, ſed etiam *actu* id ſæpè præſtare. Qvod ad *poſſibilitatem* attinet, illam ſatis patere exiſtimo *ex inſigni potentiâ*, qvâ Diabolus pollet. Unde ita argumentor: Qvicqvid non excedit potentiam Diaboli, illud ab eo fieri probabile eſt. Atq; transportatio ſagarum ad ſuos conventus non excedit potentiam Diaboli, E. Major tam perſpicua eſt, ut nemo de illâ poſſit dubitare. Minor autem partim ἀρνητικῶς, partim θετικῶς probatur. Ἀρνητικῶς ſeu negativè, qvia non poteſt dari qvidqvam, qvod hanc transportationem impediat. Non enim deeſt corpus movens, qvia Diabolus corpus aſſumit; nec obſtat corporis moti gravitas vel reſiſtentia; nam longè major vis eſt Dæmonis moventis, qvi montes movere poſſet: nec impedit celeritas motus ad locum remotum ſpatio temporis brevis, qvia agilitas & vis naturæ angelicæ id efficere valet. Deum deniq; hanc transportationem ſæpè permittere, innumera teſtantur exempla. Θετικῶς verò ſeu poſitivè (1) qvia Diabolus eſt Spiritus completus, huic autē juxta *Thomam part. 1. Summ. qv. 100. art. 3.* omnia corpora, qvoad motum localem obedientiam præſtant; & *Auguſtini lib. 3. de Trin.* ſententia eſt, angelicæ naturæ ac ſpiritibus non eſſe contrariū, ut corpora, qvo Deus permittit, deferant. (2) qvia *Angeli boni* eam habent poteſtatem, ut corpora de loco in locum transferre poſſint. Sic *Philippus Apoſtolus* à Spiritu Domini raptus & translatus fuit in Azotum. *Act. 8. v. 39.* Sic etiam *Habacuc Propheta* ab angelo translatus fuit in Babyloniam ad *Danielem*, ut eſt in Apocryphis Danielis. Si igitur angelis bonis tanta ineſt vis atqve robur, ut corpora de loco in locum transferre poſſint, qvid impedit, qvo minus Diabolo vim educendi ſagas ad conventricula ſua tribuere velimus? Conveniunt enim Angeli boni cum malis *eſſentiâ*, non ergò *poteſtate* ab illis differre poſſunt, qvia hæc ex eſſentia immediatè fluit. Abſurdus ergò eſt *Ulricus Molitor*, qvando in contrarium urget, malè nos ab angelis bonis ad dæmones argumen-

mentari, eò, qvod hâc in re longè major vis ac robur angelorum bonorum sit, qvàm dæmonum. Nam potestas movendi corpora *donum naturæ* est, non *gratiæ*. Ista verò Diabolos retinuisse, communis Theologorum schola docet.

§. XI. Qvoniam verò magis *actualitas* hujus transportationis, qvam possibilitas in dubium vocatur, hinc relictâ possibilitate, actualitatem certis argumentis confirmare progredior. Evincit autem eam (1) *experientia illa omnium rerum magistra*. Unde sic colligo: Qvamcunq; rem experientia multis, iisq; clarissimis exemplis confirmat, illa in dubium temerè vocanda non est. Sed Sagas nonnunqvã ad sua conventricula verè transferri, experientia multis exemplis confirmat. Ergo. Major suâ luce radiat. Minorem inductio exemplorum roborabit. Sic *Paulus Grillandus lib. 2. de Sortileg. qv. 7.* narrat, anno 1524. sibi ut inqvisitori oblatam qvandam Lucretiam; qvæ dum ex congregatione ludorum deportaretur domum, & sub auroram matutinus campanæ pulsus, qvo ad orandum populus vocatur, fuisset auditus; subitò illam à dæmone vectore prope fluvium in agro spinis obsito derelictam. Fortè juvenis ei benè notus, illac transibat: eum ergò misera nomine proprio advocabat. Juvenis videns totam nudam, præter verenda femoralibus contecta, & passis crinibus accedere formidabat. Persistit illa blanditiis allicere, tandem appropinquavit, & qvæsivit habitus & moræ eo loci caussam: illa primùm omnia alia prætexere, & multa mentiri; donec juvenis incredulus negavit, se illi opem laturum, nisi vera fateretur. Illa fidem secreti stipulata, confitetur, qvod sibi accidisset, & ex qvâ caussâ. Juvenis eam secretò domum suam perduxit, & multis ab eâ muneribus donatus fuit. Sed tandem datæ fidei immemor rem uni atqve alteri narravit: sic paulatim sparso rumore, & mulier capta, & juvenis testimonium veritati perhibere coactus, hæc omnia Grillando narravit. Idem Grillandus refert de *muliere* qvadam *Sabinensi*, qvod marito de magicâ arte fuerit suspecta. Cumq; manifestis indiciis eò à maritò perducta esset, ut eam negare se non posse intelligeret, veritatem aperuit, veniamq; à marito petiit; qvam maritus hâc conditione indulsit, ut illum ad talem conventum adduceret. Uxor in obseqvium mariti prona, desiderio ejus satisfecit. Adductus igitur ille ad locum, ubi ludi fie-

bant, ludum & choreas cæteraq; omnia contemplatus est; & tandem ad mensam cum reliqvis, ut vescerétur, sedens, cum cibos insipidos judicaret, petit sibi dari sal, qvod in mensa deerat; & qvamvis petitionem sæpè iteraret, illi tamen non dabatur. Tandem verò cum post importunam petitionem sal accepisset, Nunc, ait, laudetur Deus, qvoniam jam sal inveni. Prolatis his verbis, omnes subitò disparuerunt, extinctisq; luminaribus, solus ibi permansit, seq; in agro *Beneventano regni Neapolitani* esse, postero die ex qvibusdam pastoribus cognovit. Plura non addo.

§. XII. Idem (2) patet *ex mancipiorum Diaboli ad loca remotissima translatione.* Qvicunq; enim sua mancipia potest educere in loca remotissima, ille ea qvoq; ad sabbatha sua transportare poterit. Atqvi de magis & sagis affirmatur prius, Ergò & posterius verum erit. Major liqvet ex Canone Philosophico: Si id inest, qvod minus verisimile est, etiam illud inest, qvod magis verisimile est. Qvando enim Diaboli mancipia minoris voluptatis ergò in loca remotissima transferuntur; magis probabile est, transferri illa ad conventus suos longè majoribus gaudiis refertos. Minor exemplis confirmatur. Sic enim referente *Hegesippo lib. 3. Excid. Hieros. c. 2. Simon Magus* à malignis spiritibus verè sublatus, sed precibus *Petri* detrusus, repentino elisu extinctus est. Sic *Apollonius Tyranæus* verè à suo Spiritu *Smyrnâ Ephesum* transvectus est, teste *Philostrato* in ejus vitâ. Sic *Antidius*, *Turonensis Episcopus* verè à Dæmone *Romam Turone* delatus est, & à *Româ* iterum *Turonem*, ut refert *Sigebertus in Cron. sub ann. 411.* Plura exempla commemorat *Delrio loc. cit.*

§. XIII. Provoco (3) *ad realem eductionem & reversionem eorum, qvi sagas concomitarunt.* Unde tale formo ratiocinium: Si alii sagas concomitantes & ungventi morem imitantes in disita à Diabolo loca deducti fuerunt, atq; deinceps redierunt, seqvitur qvod nec illa transportatio Magis & sagis sit deneganda. Sed antecedens verum est, E. & conseqvens. Majoris connexionem cum ob perspicuitatem nemo in dubium vocare possit, Minorem unico tantum exemplo confirmabo. Refert *Bartholomæus Spinæus qv. de Strigibus cap. 17.* qvandam puellam, qvæ cum matre Bergomi morabatur, inventam fuisse nocte Venetiis in thalamo sui affinis. Qvam manè repertam nudam recognitamq;, qvia consobrina erat, cum interro-

gas-

gassent, qvomodo illuc venisset, aut ibi esset, & qvare? plorans illa, postqvam vestita ab eis fuit, hæc, qvæ subdo, enarravit, dicens: Hâc nocte, cum in lecto vigilarem, vidi matrem meam, qvę me dormire putabat, surgentem de lecto, & exutam camasia, se qvodam ungvento, qvod ex vasculo assumsit, de sublateribus extracto, perungentem corpus: & statim assumpto baculo qvodam ibi præparato, in modum eqvitantis ascendens, extra fenestram deportata est, & à me neqvaqvā ex tunc ibi visa. Cumq; ipsa qvoq; de lecto surgens, meum, ut mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum, ubi matrem puero huic lecto decumbenti insidiantem vidi. Ex qvo territa, cum matrem qvoqve ob meum adventum conturbatam vidissem & comminantem, nomen Domini Jesu & B. Virginis invocavi, & ex tunc matrem non vidi. His auditis à puellâ, scripsit omnia hæc affinis ille narrantis, Patri inqvisitori Bergomensi, à qvo mulier capta & tormentis exposita, cuncta professa est. Hæc ille.

§. XIV. His (4.) deniq; superaddo *unanimem Sagarum consensum*, atq; ita colligo: Qvicqvid ὁμοθυμαδὸν omnes confitentur sagæ, illud à vero alienum non est. Atqvi realem corporum suorum transportationem ad conventus ludorum ὁμοθυματὸν confitentur. Ergò. Negant nonnulli *Majoris consequentiam*, confessionem sagarum partim extortam, partim corrupti judicii esse perhibentes. Sed in promtu est responsio. *Unanimis* enim ista *confessio* non solùm *sagarum impœnitentium* est, verùm etiam *pœnitentium*; qvis autem crederet, pœnitentes fucum facere magistratui, nec ea profiteri, qvæ cum veritate sunt conjuncta? Præterea, si est confessio extorta, vel corrupti judicii, qvomodo qvæso tanta omnium in recensendis circumstantiis minimis potest esse convenientia? qvomodo idem fatentur ii, qvi ab hac arte immunes, vel ex inconsiderantiâ vel curiositate ad sagarum sabbata fuerunt delati? Taceo, qvod veneficæ asserant, se ad conventus tales aliqvando *corporaliter*, aliqvando *phantasticè* tantùm deductas fuisse. Si itaqve actus phantasticos à veris discernere sciunt, judicium earum corruptum haudqvaqvam esse poterit.

§. XV. Atq; hæc de sententiâ nostrâ dicta sunto. Restat, ut examinemus *Adversariorum* argumenta, qvibus ea, qvæ à nobis hucusq; disputata sunt, impugnant. Qvamvis autem, qvæ objiciunt, multa habeant, nos tamen qvædam duntaxat ventilabimus.

§. XVI. Objiciunt autem *primò, ſagas intra illud tempus, qvo longius abeſſe dicuntur, ſuis locis affixas eſſe, nec pedem extra limen movere.* Sed nobis hoc ratiocinio parum obſunt adverſarii. Monuimus enim ſuperiùs, ſagas à Dæmone ſæpiùs illudi, ſenſibus internis & externis vinctis ſepultisq́; , phantaſiâ etiam læſa perturbataq́; ; neq; tamen fas eſt, à particulari ſtatim ad univerſale concludere. Audi hac de re *Camerarium* differentem *in Hor. ſubciſiv. Cent. 1. c. 72.* Etſi, inqvit, experientia docuit, ſagas qvasdam & veneficas, ut ſpiritus iſtos immundos ad ſe alliciant, nonnunqvam ſeſe perungere ſolere ungvento aliqvo ſoporifero, deinde ſe conjicere in lectum, ubi ita profundè dormiunt, ut nec aciculis, nec ignibus poſſint expergefieri; interim diabolus illis ita dormientibus multa proponit ludicra, convivia, choreas, & omne genus voluptatum. Ita, ut illis accidat, ſicut Galenus de inſanis & atra bili percitis, & de his, qvi mortis vicinitate alienatæ mentis ſunt, ait, qvod res, qvas extra ſe videre arbitrantur, intra ipſorum ſint oculos &c. Etſi, inqvam, experiẽtia docuit, qvod multæ manentes uno in loco, opinatæ ſint, ſeſe hinc inde vagari; non tamen rarò accidit, ut, permittente Deo, dæmones homines auferant in nemora aliaq́; loca, ibiq́; illis hujusmodi ſpectacula proponant. Taceo, qvod *Delrio* loc. cit. aſſerat, Diabolum, ſtrige ad conventum profectâ, ſæpè maritum conſopire ſolere, vel aliud qvid ſupponere, qvod iſtius vicem ſuppleat, ut maritus expergiſcens uxorem eſſe putet.

§. XVII. Inſtant *ſecundò*, dicentes, *perſonas omnes hujus conventus, pronunciato nomine Jeſu, ſubito evanuiſſe, adeoq́; non vera, ſed phantaſtica corpora fuiſſe*, qvia verum corpus ſubito evaneſcere neqvit. Sed neg. conſeqventiã. Sagæ enim, qvæ interfuerunt conventriculis, nunqvam evanuerunt termino evaneſcendi propriè & ſtrictè ſumto; ſed præſtrictis cernentium oculis à dæmonibus ſuis celerrimè fuerunt ablatæ, & ſic diſparuiſſe dicuntur, latè ac impropriè accepto vocabulo. Poſſe autem Diabolum oculos auresq́; hominum qvandoqve faſcinare, notius eſt, qvàm ut à me debeat exponi. *Modo* enim objectũ verum iis removet, qvemadmodum de Monacho aliqvo refertur, qvod à Diabolo adjutus, fœnum cum curru & eqvis devorarit, qvæ tamen omnia paulò pòſt in alio loco inventa ſunt: *modò* objectum falſum offert, præſtigiisq́; aliorum oculis illudit. Sic Magus qvidam convivis apposuit lautiſimas dapes, qvi tamen vix convivio peracto, ſitim maximam ſenſerunt. *Modò* planè ſenſus pervertere ſolet. Accepimus enim, Ma-

gum

gum qvendam ſucci plenas uvas protuliſſe aliqvando; qvas cum hoſpites attrectare & reſcindere tentaſſent, qvilibet loco uvæ, qvam ſe manibus apprehendiſſe credidit, naſum tenuit, & cultro ſupernè appoſito, tantum non iſtum detruncavit. Si proindè Dæmon præſtigiis & illuſionibus aſpectantium oculos ita faſcinare ſolet, apparet, ſagas non ſtatim evaneſcere, licet cernentium oculis qvandoqve ſubtrahantur.

§. XVIII. Neq; *tertiò* alicujus momenti eſt, qvando Adverſarii inferunt, *eſſe contra corporum naturam, brevi temporis momento multa millia paſſuum percurrere.* Primò enim à ſtatu controverſiæ abludunt, qvia impræſentiarum non qværitur, an ſagæ brevi momento tam longum iter conficere poſſint, ſed an verè ac realiter à Dæmone ad conventricula ſua educantur. Secundò *breve temporis ſpatium* cum *brevi momento* adverſarii confundunt. Qvamvis enim Sagæ non momento aliqvo; attamen brevi temporis ſpatio magnum iter conficere poſſunt, adjuvante diabolo. Motum autem celerem non eſſe contra naturam corporum, non ſolùm ex ſyderum, qvæ mirâ celeritate conficiunt orbes ſuos, ſed & Salvatoris, Eliæ, Philippi, aliorumq; exemplis ſufficienter cognoſcimus.

§. XIX. Urgent *qvarto, corpus non niſi motu locali poſſe transferri, Diabolum autem ſine locali motu procedere, adeoq; corpora ſagarum eum ſeqvi non poſſe.* Sed conſeqventiam hujus ratiocinii nullam eſſe, qvilibet intelligit. Concedimus enim, in Dæmonem cadere motum tantum impropriè dictum ſeu mutationem ubi; Concedimus qvoqve, motu locali ſagarum corpora ad ſua conventricula devehi; negamus tamen, qvod Diabolus ſagas non celeri motu ſecum abripere poſſit, uti ex antecedente paragrapho liqvet.

§. XX. Proferunt *qvintò* & hoc: *in ipſis ſagis celebrari choreas, Dæmone occupante animos, formanteq; ad lubitum, non ergò opus eſſe, ut ad externa rapiantur loca.* Verùm enim verò, occupare Diabolum Sagarum mentes, easdemq; à Deo abalienare, ambabus largimur manibus. Negamus tamen poſitionem hujus eſſe negationem translationis ſagarum ad ſua ſabbata, uti ex cauſis ſuprà adductis patet. Et graviter ſanè *B. Balduinus* inqvit *Caſ. Conſc. lib. 3. c. 5. caſ. 7.* Ut Diabolus in aliis eſt ſimia Dei; ita & in hoc genere Deum imitatur. Qvemadmodum ergo Deus fœdus nobiscum in baptiſmo initum redintegrat, qvoties ſacramento cœnæ utimur; ita & Satan in illis magorum ſabbatis facit, ut, qvi ſemel ei fidem dederunt, conſpectâ tantâ hominum ſibi ſervien-

vientium multitudine, eo constantius in suo ministerio persistant. Et paulò pòst: Qvemadmodũ David cum cantu & saltu arcæ Domini præibat, cum eam in domum domini reduceret, & Hebræi munera sua saltantes ad altare tulisse leguntur; ita magi saltationes instituunt istis in convẽtibus, ut testentur, se studiosè & alacriter cultũ diabolo præstare.

§. XXI. Pergunt *sextò* atq; dicunt, esse absurdum, *è toro conjugali divinitùs & mandato & custodito, à Dæmone rapi sociam.* Sed confundit adversa pars *absurditatem veram cum apparente.* Multa dantur in rerum natura, qvæ nobis absurda videntur, cum tamen haudqvaqvam talia sint. Sic absurdum videtur, nivem non esse albam, cum tamen nihil verius. Sic qvoq; absurdum videtur, aqvam carere colore, cum tamen Naturæ scrutatores sufficienter id ostendant. Addo, qvod multa, Deo permittente, fiant, qvæ absurdissima nobis videantur. Qvid enim absurdius excogitari poterat, qvam Filium Dei abducendum à Satanâ atqve à Judæis cruci affigendum esse? qvod tamen contigisse, sacræ literæ commemorant. Pari ratione non absurdum est è lecto conjugali à Dæmone rapi sociam. Qvamvis enim muliercula ingrediatur fœdus cum Diabolo, non tamen ideò matrimonii copula solvitur.

§. XXII. *Septimò* deniq; adjiciunt, *instrumenta transportationis esse vana atq; suspecta, Ergò etiam ipsam transportationem*, qviâ qvalis causa, talis qvoqve effectus est. Sed Majorem veritati esse contrariam, patet, qvia multarũ sæpè rerum instrumenta suspecta sunt, cum tamen res ipsa non vituperanda. Et qvemadmodum non singula, qvorum instrumenta bona sunt, laudem propterea merentur: ita nec omnia ea sunt vituperanda aut neganda, qvorum organa minus apta esse videntur. Qvamvis proinde instrumenta, qvibus Sagæ ad sua Sabbata deferri solent, ludicra sint & absurda; illorum tamen rector & gubernator potentissimus est; sagasq; mediantibus illis sine molestiâ in ea, in qvæ vult, loca potest educere. Cæterùm axioma philosophicum, qvo adversa pars Majorem confirmare satagit, incommodè hîc allegatur, qvia agit de causa tantùm principali, non instrumentali, de qvâ tamen hîc loci controversia est. Atqve hæc de raptu sagarum ad sua, qvæ vocant, sabbata dicere placuit, ut hoc hominum genus eò vehementius detestemur, qvi ad nutum dæmonis potiùs, qvàm DEI creatoris vivere malunt.

TANTUM.